



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quinto Decretalium. In Quo De Judicio, Seu Ordine Judiciario criminali, nec non de criminibus Ecclesiasticis, & secularibus ... agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1677

Titulus. XIV. De Clericis pugnantis in duello.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98302](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98302)



I. Ontinentur in hoc Titulo duo capitula, in quorum primo, quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. c. 20. & incipit *Felicitis memoria*, prohibentur detestabiles illa nundina, seu feria, quae vulgò torneamenta vocantur, in quibus milites ex condicto conveniunt, & ad ostentationem virium suarum, & audacia, temerè congregi (& ideo talis ludus tanquam noxius prohibetur etiam in l. Cum lusus 10. ff. ad Leg. Aquil. Gl. hic V. Temerè.) unde mortis & animarum pericula saepe proveniunt. Quod si quis eorum mortuus fuerit, quamvis ei petenti poenitentia non denegetur, Ecclesiastica tamen sepultura carere debet.

II. Ubi notandum primò, etsi torneamenta, in quibus pugiles, dum inter se exercentur, & unus alium occidit, non iniuria, sed gloria, & virtutis causa, videantur Jure Civili esse permissa, aut saltem impunita relinqui. l. Quae actione 7. §. Si quis in colluctatione ff. ad Leg. Aquil. tamen de Jure Canonico sunt prohibita, ob caedes hominum, quae frequenter exinde provenire solent, Gl. in Extravag. quia in futurorum unic. Joannis XXII. h. t. V. Torneamenta, nisi tamen cum tali moderamine fiant, ut cesset periculum mortis, tamen si raro, & per accidens sequatur mors, vel grave vulnus infligatur, tunc enim non sunt prohibita, Navarr. in man. c. 15. n. 9. Azor. p. 3. Instit. l. 2. c. 15. not. 1. Rodrig. tom. 3. q. 6. art. 1. §. 10.

Et hinc in cit. Extravag. unic. revocatur Constitutio Clementis V. quae incipit, *Passiones*, in qua torneamenta in quibusdam regnis prohibita sunt, sub poena excommunicationis in personas, & interdicti in Terras eorum lata, non tantum in exercentes torneamenta, vel hastiludia hujusmodi, sed etiam in ferentes eis opem, consilium, & favorem, vel recipientes eos in locis, vel domibus suis, aut commercium quomodolibet cum eisdem exercentes. Illi verò, qui hujus occasione sententias excommunicationis, & interdicti incurrunt, ibidem absolvuntur, sicut ab irregularitate inde contracta. Prædicta autem Constitutio Clement. V. revocata fuit, quia plures per illam à subsidio Terræ Sanctæ, & à militia revocabantur, ne prædictas censuras incurrerent, ut habetur in cit. Extravag.

Notandum secundò, Poena eorum, qui cum

periculo mortis, & gravis vulnerationis huiusmodi torneamenta, & pugnas, seu confectus cum equis exercet (quæ vulgò, & Germanicè Torneamentum) est, ut, licet lethaliter vulnerati suppetant, & poeniteant, eis viaticum non denegetur, c. 26. q. 6. Gl. hic V. Negetur. Ecclesiastica sepultura priventur, & sic conceditur eis tantum licet Corpus Christi, & quod minus est, propter causam, ut potius consulatur vivis, quam defunctis, nempe ut vivi deterreantur à talibus, cum illi sepeliri in campis, Gl. fin. hic V. Hostiens. qui aliquem in torneamentis occidit, excommunicatur, quia ipsi homicida, Hostiens. in summa.

Notandum tertio. Ecclesia potest etiam prohibere ludum periculosum, & noxium, adjecta poenâ in transgressores, ut patet ex hoc hic n. 2.

III. Præterea in c. Ad audientiam 2. h. t. tur, quòd quidam, non animo ludendi, sed gaudi, sed causâ exigendi quædam debita, sit ad locum torneamenti exercentis detentum, in quo casu ex equo cadens mortuus, cui Ecclesiastica sepultura denegata fuit, quid tum fuit, an justè? Respondet Alexander quòd his tantum Ecclesiastica sepultura interdicti, qui animo exercenti torneamento, cedentes, ibidem decedunt, si ergo contra quòd ad prædictum torneamentum, non animo ludendi, sed ad recipienda credita pervenerint, ibi fortuito casu (qui prævideri non potuit) ipsi obesse non debuit, Gl. hic V. eod. Jobertus pus ejus dispensatione (illâ scilicet generali, quæ conceditur omnium Christianorum corporum metieris sepeliri, Gl. hic V. eod.) Ecclesiastica debet sepultura. Idemque est, si causâ sepulchri tantum accessit, quia cum ista sit poena, stringi ad proprios terminos, Abb. hic not. 2. ximè si Corpus Dominicum acceperit, & ob hoc extremum inunctus fuerit, ut additur in hoc, quamvis idem esset, etiam si hac Sacramenta accepisset, dummodo non constet, quòd in prædicti mortali obierit, vel ante mortem signa poenitentiae ediderit, Gl. fin. hic. Hinc colligitur, quòd in hoc animus spectari debeat, quia voluntas, & poenitentia distinguunt maleficia, l. Qui iniuria 53. ff. de iniuriis c. Cum voluntate 54. in princ. de sent. excomm. c. V. Animo, & Hostiens.

TITULVS XIV. DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

§. I.

Quid sit duellum, & quando sit prohibitum, vel licitum? & de poenis Jure statutis in eos, qui ineunt illicitum duellum.

I. **ASSERTIO I.** Duellum sic dictum, quasi duorum bellum, est singularis pugna duorum inter se, ex condicto, suscepta, Hostiens. in summa n. 1. h. t.



Silvest. V. Duellum n. 1. Azor. p. 3. Instit. c. 5. not. 2. Est autem illicitum, & contra Jure naturali, & Divino, ac humano, Concilio Canonico, c. Monachiam 22. caus. 2. q. 1. c. h. t. & Lunic. C. de gladiatores lib. 11. Et in hoc est illicitum est duellum, quod offertur, ut patet ad probationem veritatis, & criminis probationem, tum quia illud est tentare DEUM, nim petere miraculum, ut ostendatur veritas, illicitum est: tum quia non est medium agnoscere manifestandam veritatem, cum accidere possit innocens in duello victus succumbat, & acci-

vel membro mutiletur: nocens verò victor evadat, id est, quæ hujusmodi duella inita manifestanda veritatis causâ, damnantur tanquam vana, & superfluitas fortilegia, secundum doctrinam *S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. in fine. & ibi Cajetan. Silvest. c. l. q. 1. n. 2. Azor. cit. c. 5. q. 1.* Secundò, illicitum est etiam duellum, quod indicitur ad vires corporis ostentandas, & gloriam inde captandam, si vincat, quia contra rectam rationem est, se periculo mortis exponere, ob id hunc finem, *Azor. c. l. q. 2. Sayrus in Clavi regia l. 7. c. 13. n. 13.* Tertiò, quando indicitur, vel acceptatur duellum, ad dirimendam, seu terminandam litem civilem, quia alioquin non acceptans non potest consequi justitiam, vel perdit causam suam, magno suo damno, illicitum est duellum, etiam ex parte acceptantis, cum quia non est aptum medium ad hunc finem, quia semper exponitur periculo justitiæ causæ, unâ cum periculo vitæ propriæ, vel alterius: tum quia alia sunt ad eum finem obtinendum media, nempe vel transactio partium, vel sententia Judicis, vel si causa postulet, commune, seu publicum bellum, adeoque acceptans duellum, non tam est defensor, quam aggressor, *Azor. c. l. q. 5. Sayrus c. l. n. 14.* Quartò, nec licitum est duellum acceptare, ad tuendum proprium honorem, vel ignominiam vitandam, quia provocatus apud viros bonos, & sapientes nullam facit honoris sui jacturam: aliud est de invaso, qui aliter non potest tueri honorem suum, nisi occidendo invasorem, *Azor. c. l. q. 6. Sayrus c. l. n. 13.* Quintò, neque licitum est duellum indicitur, vel acceptatum ad spectantium animos oblectandos, nimis enim atrox, & crudele medium est ad finem tam parvi momenti, *Azor. c. l. q. 2. Sayrus c. l. n. 14.* multò minus ad vindictam privatum suumendam licitum est duellum indicere, *Azor. c. l.*

II. ASSERTIO 2. Sunt tamen plures casus, in quibus licitum est duellum privatum acceptare. Velut primò, si Rex, vel Princeps justum bellum gerat, & quia non habet sufficientes vires ad resistendum hostibus, ideo committitur res duello, inter duos, vel plures milites utriusque exercitus decidenda, ut quæ pars vicerit, causam obtineat, *Navarr. in man. c. 11. n. 39. & c. 15. n. 9. Azor. cit. c. 5. q. 3. Laym. cit. c. 13. n. 16.* ubi addit ex Cajetano, & Valentia, hoc casu, licitum esse, non solum acceptare duellum, sed etiam ad illud inducere, & provocare, si id necessarium esset ad communem cladem avertendam, cum non aggrediendi, seu vindicandi causâ, sed defendendi id fiat. Similiter licitum est hujusmodi singulare certamen inter milites duorum exercituum, unius contra unum, vel plurium contra plures, provocatis acceptare, ne exercitus hostium audacior fiat ad prælium: vel ne milites provocati animo concidant, & spem victoriæ abjiciant, vel ut consulatur honori, & famæ militum, vel ob alias similes causas, *Azor. cit. c. 5. q. 4.*

Secundò, si quis ab alio per calumniam accusetur, coram Judice, & certò, vel probabilissimè prævideat, se condemnandum ad mortem, vel membri mutilationem, nisi oblatum duellum acceptet: hoc casu, si non potest aliter se liberare ab iniquo calumniatore, potest acceptare duellum sibi oblatum, interveniente consensu Judicis: tunc enim innocens se, vitamque suam tantum defendit ab injuria illata,

quod jure naturæ licitum est, *Navarr. c. l. Azor. cit. c. 5. q. 3. Sayr. cit. c. 13. n. 15.* Idemque est, si ab iniquo Judice innocens condemnatur, ut vel in duello pugnet, vel mortem subeat, quia tunc potest per incertum duelli periculum certam alioquin mortem à Judice intentatam effugere, etiam cum detrimento tertij, cum quo pugnaturus est, neque hoc est propriè duellum, sed defensio, & repulsio injuriæ, *Sayr. c. l. n. 15.*

Tertiò, si duo Rei à Principe, aut Judice ad mortem sint damnati, ut unus alium occidat, vitâ ei, qui vicerit, & alterum prævenierit, condonata, id quidem secundum se videtur licitum esse, nec contrarium juri naturali, quia cum uterque reus sit mortis, unus constituitur in alterum minister justitiæ, ut sententiam mortis in eum exequatur: tamen quia id non caret periculo scandali, ob adjunctas circumstantias, ideo non expedit, ut id fiat, nec licitum est: quamvis ipsi Rei talem facultatem à Principe, vel Magistratu sibi factam licitè acceptare possint, non ex odio, sed zelo publicæ justitiæ, & propriæ vitæ servandæ causâ, *Azor. cit. c. 5. q. 7. Laym. l. 3. tr. 3. c. 5. n. 1.*

II. Cæterum quænam pœnæ Jure statuta sint in eos, qui ineunt illicitum duellum, habetur in *Concil. Trident. Sess. 25. c. 19. de reform.* ubi primò excommunicantur Imperatores, Reges, Duces, Principes, Comites, & alij quicunque Domini temporales, concedentes locum ad Monomachiam in suis Terris. Secundò, iidem privantur jurisdictione, & dominio civitatis, castri, vel loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, si id ab Ecclesia obtineant: quod si sit feudum, id statim acquiritur, & redit ad Dominum directum. Tertiò, Pugnares, & eorum Patrini excommunicationis, & omnium bonorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrunt, & ut homicidæ juxta SS. Canones puniri debent. Quartò, Si in ipso conflictu decesserint, perpetuâ careant Ecclesiasticâ sepulturâ. Quintò, Qui consilium ad duellum, tam in jure, quam facto dederint, vel aliâ quâcunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis vinculo teneantur, non obstante quocunque privilegio, aut pravâ consuetudine, etiam immemoriali. Porro ex his pœnis excommunicatio incurritur, ipso facto, cæteræ verò non nisi per sententiam Judicis, *Azor. cit. l. 2. c. 6. not. 3.*

Easdem pœnas Concilij postea extendit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ad tollendum*, & habetur in *pract. Ber. Diaz. c. 104. in fine*, ad duella etiam privata, quæ ex condito, statuto tempore, & in loco convento fiunt, etiam sine patrinis, sociisque ad id vocatis, & sine alijs solemnitatibus. Denique Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, *Illius vices*, & extat apud *Quarant. in Summa Bullarj V. Duellum*, prædictum Decretum Concilij Tridentini, aliisque Constitutiones Apostolicas confirmavit, & extendit ad pugnares in duello, publicè, vel privatim, ceterosque fautores, & absolutionem à pœnis Sedi Apostolicæ reservavit. Putat tamen *Laym. l. 3. tract. 3. p. 3. c. 5. n. 4.* Germanos, aliisque Septentrionales populos, sive ob ignorantiam, sive quia Constitutiones illæ, secundum hunc sensum, non sunt promulgatæ, & in usum deductæ, excusari à censura. Item quod

Notandum secundò, homicidium dicitur de voluntario quatuor modis committitur, ut habetur in *c. 2. h. t. facto*, cum quis per se, sive propria manu aliquem occidit: præcepto, sive mandato, cum per alium: consilio, aut defensione non necessariâ, sive excedente moderamen inculpatae tutelæ, si loquamur de homicidio culpabili, & punibili, *Abb. hic n. 2. not. 3.*

Notandum terciò. Spectato Jure Canonico an-

tiquo, Episcopus potest cum voluntario homicida dispensare, quoad beneficium simplex obtinendum, ne cogatur in Clericalis Ordinis opprobrium mendicare, ut patet ex *c. 2. h. t. & dictum supra c. 12.* Porro jure novo Concilij Trident. *c. 1.* Clericus pugnans in duello, est etiam ipso jure, seu facto excommunicatus, & consequenter etiam suspensus, ipso jure, ab officio, & beneficio, ut notat *Suar. cir. dis. 31. sec. 4. n. 48.*

T I T V L V S XV.

DE SAGITTARIIS.

N cap. *Artem unic. h. t.* Papa Innocentius III. artem illam mortiferam, & odibilem (quippe quæ causam homicidij præbere solet) Sagittariorum, adversus Christianos, & Catholicos exerceri de cetero sub anathemate, si ve excommunicatione prohibet. Consistit autem ars hæc in jaciendis sagittis, eaq; prohibetur exerceri in bello injusto, nam in bello justo licitum est quibuscunque armis uti, & pugnare, *Gl. hic v. Christianos.* Deinde prohibetur exerceri contra Catholicos, ut colligi videtur à sensu contrario, nam in bello justo contra Saracenos, aliosque infideles, impunè hæc ars exerceri potest, *Hosiens. hic.* quia non refert, anviapertâ, an occultâ, & ex insidijs pugnetur, vide-

tur autem hæc ars pugna ex insidijs, *Silvest. hic v. ars. q. 6.* Aliter hoc c. explicat *Abb. hic n. 2.* nempe quòd Papa voluit specialiter prohibere exercitium hujus artis contra Christianos, & Catholicos, ut magis ab ea abstinerent homines in bello contra fideles, licet etiam in bello injusto contra infideles ista ars sit prohibita, quia plùs timeri solet, quòd specialiter injungitur, quàm quòd generaliter imperatur, *c. Si adversus 11. de heretic.* Est autem Canon iste excommunicationis non latæ sententiæ, sed ferendæ, *Gl. fin. hic.*

Porro per sagittarios hic intelligi putat *Barb. in Collect. n. 2.* eos, qui fœdere cum dæmone iniso, ei animam, & corpus addixerunt, si quàm longissimè dislitos ferire, & trahere possint, quos voluerint.

T I T V L V S XVI.

DE ADULTERIIS, ET STUPRO.

Postquam actum est de criminibus, quæ committuntur contra quintum præceptum Decalogi, & per quæ læditur vita, & corpus proximi, sequuntur nunc ordine delicta contra sextum præceptum Decalogi, nempe delicta carnis, quibus peccatur in proprium corpus, & læditur pudicitia, ut adulterium, stuprum, & alia similia, de quibus hoc Titulo agendum.

S E C T I O I.

DE CRIMINE ADULTERII, & ejus pœnis.

§. I.

Quid sit adulterium, & quibus modis committatur?

I. **A**SSERTIO 1. Adulterium est alieni tori violatio, *c. ult. caus. 32. q. 6.* unde adulterium dicitur, quasi ad alienum torum accessio, *Hosiens. in summa h. t. n. 1. Silvest. v. Adulterium. n. 1.* Continet autem in se duplicem deformitatem contra rectam rationem, sive malitiam; unam luxuriæ, quia est concubitus viri cum fœmina, extra conjugii-

um: alteram injustitiæ, quia est coitus cum fœmina, quæ est uxor alterius, *S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8. Aror. p. 3. Instit. c. 7. in princ.* quæ malitia non purgatur, nec tollitur per consensum alterius conjugis, eò quòd hic consentiat in adulterium conjugis adulteri, quia adhuc injuria infertur DEO Auctori naturæ, qui vinculo indissolubili utramque conjugem sibi invicem astrinxit: quamvis conjux consentiens in adulterium alterius non possit actionem, vel querelam instituere super illatâ sibi injuriâ à conjuge, quia scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus, *reg. juris 27. in 6.*

II. ASSERTIO 2. Committitur adulterium tribus modis. Primò, si vir conjugatus cognoscat carnaliter mulierem solutam, & tunc est adulterium simplex, ex parte viri tantum. Secundò, si è contrario, vir solutus cognoscat carnaliter fœminam conjugatam, & hoc est adulterium simplex, ex parte